

**Theses medicae miscellaneae ... / [Johann Jakob Schurer].**

**Contributors**

Schurer, Johann Jakob.  
Boecler, Johann, 1681-1733.  
Université de Strasbourg.

**Publication/Creation**

Argentorati : Typis Simonis Kürsneri, [1726]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/us3zsc9h>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

B. C. D.

18

THESES  
MEDICÆ  
MISCELLANÆ

QUAS

PRÆSIDÈ

DNO. JOH. BOECLERO,  
PHIL. AC MED. D. CHYM. ET  
BOTAN. P. P. O. CAP. THOM. CANON.

h. t.

RECTORE MAGNIFICO,

*In Alma Argentinensium Universitate*  
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIET

JOH. JACOB. SCHURER, Arg.

h. l. q. c.

Ad diem 30. August. MDCCXXVI.

---


ARGENTORATI,

Typis SIMONIS KÜRSNERI, Cancell, Typogr.

3  
318

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30775942>



## Thes. I.



Itam omnium animalium in sanguine consistere, non solum S. Scriptura, sed & Ratio atque Experientia comprobat.

## Thes. II.

Cum vita nihil aliud sit, quam mutuus progressivus atque circularis fluidorum in solida, & solidorum in fluida influxus atque commercium ad corpus conservandum à Deo per motum tanquam principium ipsi inditum, foetus in utero materno ab eo momento incipit vivere, quo semen masculinum ovulum matris imprægnat.

## Thes. III.

Quamvis in semine masculino viva animalcula ex mente quorundam negari haud possint, illa tamen rudimenta corporis continere, retineri atque nutriri reliquis minus vivacibus suffocatis, tam religioni quam sanæ rationi contrarium esse videtur.

## Thes. IV.

Vasa quidem Epigastrica non vero juxta Boerhaaven Inst. §. 687. Hypogastrica saepius cum mammariis communicare autopsia anatomica probat, interim tamen ab anastomosi illarum cum mammariis consensus uteri cum mammis omnino adæquaté derivari non potest.

## Thes. V.

Cum omnia objecta per tactum sentiantur , proprius unus tantummodo datur sensus externus, interim tamen quia quinque diversa sunt organa , & totidem diversiunt perceptiones , quinque etiam sensus externi optimi statuantur.

## Thes. VI.

Dura Meninx non tantum motu gaudet diastolice qui à dilatatione cerebri per sanguinem arteriosum copia atque impetu advectum facta deducitur , sed & c. insignem validissimarum fibrarum numerum & experimenta Celeb. Baglivi ipsi non sine ratione motus Systolicus tribuitur.

## Thes. VII.

*Hippocrates* quidem non obscurè de circulatione sanguinis quibusdam in locis loquitur , illam tamen ipso exactè cognitam fuisse verosimile non videtur , & laus inventionis Guilielmo Harvæo merito manet.

## Thes. VIII.

In homine eretto subtiliorem sanguinis portionem per arterias carotides internas ac vertebrales perpendiculariter ascendentem , multis ramis prius ad latera dimisis , devehi ad cerebrum probant leges hydraulicæ.

## Thes. IX.

Contrarium huic accidere in corpore horizontaliter situ , vel multum inclinato , præsertim ubi chylus nondum exactè cum sanguine permixtus est , facile intelligitur , veritas quoque proverbiorum inde patet :

*Non bonus est homini somnus post prandium. Item Post cœnam stabis, aut passus mille meabis.*

## Thes. X.

## Thes. X.

Quoniam magno nisu opus est, ut tertia circiter pars sanguinis in erectis ad caput propellatur, & eadem sanguinis quantitas in horizontaliter sitis difficulter regrediatur, insuper in aliis subjectis tam sanis quam ægris cordis impetus validior sit in aliis vero remissior, situs quoque diversi huic vel illi subjecto suadendi sunt.

## Thes. XI.

Mirandum nullos, quantum constat, authores recentes & explicare egregium illud phænomenon, cur in statu naturali velocitas pulsuum parum differat in inclinatis atque erectis; ratio ejusdem videtur ē legibus hydraulicis haurienda, quia in erectis sanguis per arterias fluens propter situm vasorum hoc in loco acceleratur, n illo autem retardatur, & venosus hīc ascendit, illīc vero descendit.

## Thes. XII.

Tam per rationem quam experientiam probatur ventriculum officio suo commodissimè fungi, si primis post pastum horis decubitus in lecto fiat incumbendo lateri inistro, & dein post. 2. l. 3. horarum spatium lateri extro,

## Thes. XIII.

Uſus Lienis non alijs esse videtur, quam ut sanguini per arteriam splenicam copiosè advectum per vasa capillaria ope fibrarum, nervis copiosissimis instructum, immediate in venulas transprimat, eundemque conquassatum ac floridum sanguini ē ramo mesenterico & hæmorrhoidali tardē fluenti crassiori ac lymphato intime misceat, fluiditatem reddat, subtilioremque bilis partem constituat.

## Thes. XIV.

## Thes. XIV.

Hinc sexcenti fere Lienis ab antiquis afficti usus atque functiones plurimam partem sponte cadunt, partim ceteri effectus tantummodo explicari debent. Ductu quoque excretorio, quem omni industria Anatomici hactenus frustra quæsivere, opus non habet.

## Thes. XV.

Omenti usus præcipuus est, ut materiam pinguem ac oleosam è sanguine secernat, inque ductibus adiposum per motum lentiorem atque diuturnum eandem acrimoniam reddat, ut promptius in bilem converti possit.

## Thes. XVI.

Saliva liquor Gastricus ac pancreaticus & utraque biliaris nec acidæ nec alcalinæ sunt naturæ sed saponaceæ, & non plane pro humoribus excrementitiis haberi debent cum partim insignem usum in corpore adhuc habeant antequam eliminantur, partim spirituosa illorum portio per vasa chylifera resorbeatur, ac Mseæ reddatur-

## XVII.

Probati Authores testantur Empyema quandoque operæ remediorum diureticorum per Urinam solutum fuisse quamvis autem modus hujus excretionis incognitus sit attamen licet augurari, forte naturam per venam azygona, non raro cum emulgente communicantem, viam *autospastos* invenisse, alias insolitam.

## Thes. XVIII.

*Etmüller* opinio, quod flatus in colo circa lienis regionem incarcerati ut plurimum pro obstructione hujus visceris habeantur, Experientiæ contrariatur, si enim hoc esset, clysteres emollientes ac carminativi præsentioris existerent efficacæ.

## Thes. XIX.

## Thes. XIX.

Venæsectio in Inflammationibus in & externis ab initio morbi , corpore præsertim plethorico existente, bona conscientia prætermitti non potest.

## Thes. XX.

In nostris regionibus perfectæ crises rariores sunt, ut plurimum morbi solum per  $\lambda\upsilon\sigma\alpha\mu$  s. solutiones successivas solvuntur.

## Thes. XXI.

Ridicula videtur explicatio operationis pulveris sympathetici in distans ; quod substantia illa vitriolico - acida cum sanguine mixta à principio vitali valentissime coagulans sensibus internis subtilioribus percipiatur , quale re sanguinem reliquum valida adstrictione in corpore retinere ac à molestissima ejusmodi coagulatione prænunire studeat.

## Thes. XXII.

Uti Mens tranquilla optime statum corporis sanum sustodit , vitæque conservationi patrocinatur ; ita è contrario ira ob fortiorem partium solidarum tonum , insignem humorum agitationem , & imprimis effusionem pilis copiosiorem , gravia sæpiissime mala causatur , phlegmaticis tamen quandoque salutaris reperitur.

## Thes. XXIII.

Plumbum igne forti in minium calcinatum pondus augmentum non à particulis igneis admixtis nancicitur , sed ponderosius fit propter immutationem pororum , in plumbum enim mediante fusione redactum , antum iterum de gravitate sua amittit , quantum prius calcinatione acquisivit.

## Thes. XXIV.

## Thes. XXIV.

Ex destillatione partium è regno animali desumptum phlegma , spiritum atque sal volatile Urinosum oleum foetidum & paucum sal fixum è Capite mortuorum , spiritus etiam acidus sed in paucissima quantitate producitur.

## Thes. XXV.

Sal acidum omni pinguedini immixtum esse probatur saponis præparatio aliaque.

## Thes. XXVI.

Uti regnum minerale vix ullo gaudet sale volatile Urinoso , quo animale in copia scatet , ita sal acidum illo abundat.

## Thes. XXVII.

Nitrum non est Inflammabile.

## Thes. XXVIII.

Veras metallorum , gemmarum , corallorum tinturas dari , quæ à sulphure horum mineralium vero coloratae sunt , non sine ratione dubitatur , cum facile i principia sua reduci possint.

